



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ignatii Loiolae Vita**

**Maffei, Giovanni Pietro**

**Antverpiae, 1605**

Falsis criminibus circumuenitur Ignatius, & absolvitur. Cap. VIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11486**

ROMAN PATRES VNIVERSI CONVENIUNT: VE-  
terem plebis erudiendæ morem & frequentem vsum  
Confessionis & Eucharistiæ restitunt.

## CAPVT VII.

**Q**UÆ dum ardens Christi amore diligenter agit Igna-  
tius, interim Patres cæteri, sua quisque prouincia bene-  
gesta, Romam (vti decreuerant) circa mediam Quadra-  
gesimam conuenere. Is fuit annus post Christum natum M. D.  
XXXVIII. Testo recepti sunt à Quirino Garzonio ciue Roma-  
no, ad villam Minimorum fratrum cœnobio proximam. Ibi in-  
summa omnes egestate precario vicitantes, communi cõsilio ad  
rem Christianam pro viribus adiuuandam aggressi, permissoque  
Antistitem varia Urbis templa sortiti, concionibus primũ ciui-  
tatem ad omne officium atque virtutem vehementer accendere;  
deinde etiam veteri Ecclesiæ instituto plebem puerosq; Christia-  
na catechesi (quæ iam diu obsoleuerat) vicatim erudire institerunt.  
Ac licet piis eorum studiis dæmon omni conatu se opponeret;  
tamen partim exemplo vitæ, partim assiduitate dicendi hortan-  
di que cū alia multa propediem assecuti sunt, tum verò præcipuè,  
vt sacræ Confessionis & Eucharistiæ frequens vsus (quo nihil est  
humano generi salutaris) diaboli fraude iam pridem extinctus,  
magno vtique Christianæ Reipub. commodo in principe magi-  
stræque orbis terrarum Ecclesiæ reuiuisceret. ex quo deinde pau-  
latim effectum est, iisdem scilicet adiutoribus, non solum vt in  
Italia, Gallia, Hispania, cæterisq; Catholicis Europæ regionibus,  
verum etiã vt in ipsa India, atque aded in vltimis terris, vbi pau-  
lo antè feræ dæmonum dapes & nefaria sacra viguerant, iam  
nunc, ingenti bonorũ gaudio, per pœnitentiæ Sacramentum fre-  
quenter elutis animi sordibus, diuina passim cõuiuia celebrètur.

FALSIS CRIMINIBVS CIRCVMVENITVR  
IGNATIVS, ET ABSOLVITVR.

## CAPVT VIII.

**Q**UÆ nimirum satanas futura præfagiens, ipsis rerum  
iniciis per se suosque satellites obuiam ire non distulit.  
Augustinus quidam erat ex Eremitana familia concio-  
nator; prorsus indignus eo nomine atque ordine. Is Lutheris im-  
pii sectator occultus, per ambages identidè perniciosa dogmata  
spargebat è pulpito: ac miris artib<sup>9</sup> auditores à recta in Deũ fide  
atq; à Rom. Põtificis auctoritate sensim abducere conabatur. Id  
autè eo fideliũs, q̃ per eos fortè dies Põtifex aberat, maximis de  
rebus,

rebus, quæ ad salutem Ecclesiæ pertinebant, in fines Galliarum Narbonensis Nicæam vsque profectus. Hanc rem odorati è Patribus quidam; ne ad perniciem animorum latius manaret; communi consilio totam ipsi cognoscere atque inuestigare non dubitant, ad eum concionatorem audiendum cum cætera multitudine semel iterumque conueniunt; quæ ratio disputandi sit, qui scopus totius orationis diligenter attendunt, neq; verò peritos dogmatum, quæ per id tempus in controuersiam vocabantur, diabolicis ministri sefellit astus, ac latens lupi sub ouis pelle rapacitas. Itaque satis iam comperta atque explorata re, primùm ex Euangelii præceptis priuatim ad hominem adeunt; quid ad se delatū, quid auribus ipsimet suis deinde perceperint, iis potissimùm verbis exponunt, quibus non de populi modò salute sese, verùm etiam de ipsius qui populum pestifera contagione inficeret, pro Christiana caritate sollicitos esse demonstrant: rogant, hortantur, denuntiant, praua dogmata corrigat, ambigüe dicta, quæque ad contemptum Sedis Apostolicæ & Ecclesiasticarum traditionum ac rituum facile trahi possint, ad conciliorum decreta normamque sinceræ fidei quamprimum interpreteretur: utique à deprauidanda Romana ciuitate atque à perturbâdo ipso veritatis fonte in posterum abstineat. Ille (qui fastus hæreticorum est) homines nimirum idiotas ex habitu ratus, eorum dicta primò eleuare & eludere; deinde vbi se variis vrgeri ac premi argumētis & rationibus vidit, versante animum simul ira metuque, pauca præfatus que ad occultandam in præsentia improbitatem valerent; cum tantis promissis Dei famulos ab se dimisit. Deinde vt se è timore collegit; diabolicis actus furis, & amicorum opibus fretus, quos ille sibi multos parentesque parauerat, ad institutam agendi consuetudinem pari scelere atque impudentia rediit. Quod vbi sensere Patres, in re tam atroci tamque periculosa nequaquam lenibus rati opus esse remediis; consilium cepere dignum hominibus diuinæ gloriæ studiosis, dignum sacræ Theologiæ doctoribus; ut improbi concionatoris mendacia palam & ex superiore loco suis ipsi concionibus refutarent. Id ergo cum facere instituisset, bonis maiorem in modum approbantibus, cognita re Lutherianus vehementer excauidit; vocatisque ad se confestim amicis rabiem doloremque suum impertiit; etiam atque etiam obrestant, ne tantam ac tam insignem injuriam inultam esse paterentur. Illi, & eadem laborantes opinionum insania & magistri ignominia valde commoti, facta conspiratione, Ignatium & socios omnino dolo per fas ac nefas euerrere, nec modo fama, sed etiam, si res procedat,

procedat, vita spoliare constituunt. Primum igitur tota Vrbe fideis criminibus dissipant, Ignatium sociosque omni scelerum genere coopertos, tum in Hispania, tum in Gallia, quin etiam nuper Venetiis, saltæ religionis & probri flagitii que dānatos; & elapso è iudicium manibus, ad corrumpeudam iuuentutem specie pietatis Romam se contulisse; sibi, quod bonis artibus nequeant, id, alios criminando accusando que, per suam injuriam quætere, ut sibi apud imperitum vulgus famam sanctitatis eruditionisque concilient. Cùm, aures nacti secundas, hæc & alia id genus quam appositisimè ad veritatis imaginè & per se ipsi & per emissarios oppido sererent; tantam in inuidiam & odium breui seruos Dei adduxerūt, ut eos multi iam quasi facinorosos ac fugitiuos horrerent; ipsorum que congressum & consuetudinem vulgò refugerent. Cũque iā res è sententia fueret, læti successu aduersarii, præterea promissis ingentibus onerant subornant que, qui iisdem ferè nominibus, quæ sparsa in vulgus fuerant, apud Urbis Præfectum infantes accuset. Has verò partes inexpiabili scelere sibi desūpsit Michael Hispanus quidam, qui iam antè Parisiis in Ignatiū debacchatus, ac deinde singularibus ab eodem Ignatio lucradi fratris mirabiliter cupido prouocatus officiis, egregiam viri beneficentiā (ut ferè fit) minimè vulgari perfidia atque impietate repēdit; atque ut Ignatiū & socios familiariter nouerat, cōfictis quā maximè ad similitudinem veri criminibus, apud Præfectum sanè magnā in suspitionē cunctos adduxit. Omnino res erat insigni infamia; nec modò in vrbe vulgi sermonibus terebatur, sed apud exterarum quoque nationes atque prouincias aduersariorū nuntiis ac litteris percrebuerat, Ignatianos cū suo capite denique manifestorū scelerū hæresisque conuictos teneri: videlicet, ut quas noxii variis locis effugissent pœnas, eas iusto Dei iudicio Romæ in celeberrimo totius orbis terræ theatro pertoluerent. Interea Ignatius totius machinationis nequaquam ignarus, fretusque tum præclaro conscientiæ testimonio, tum etiā Christi promissis, qui se illi Romæ propitium spopōderat fore; omnes inimicorū impetus totaque belli procellam inuictò animo sustinebat. Deumque vnà cum sociis pro aduersariorum salute precabatur assidue. Iamque causæ dicendæ tempus appropinquabat; cùm incidit in eius manus epistola, quæ antea Michael, recentibus quibusdam Ignatii meritis delinitus, (quippe vel ferrea pectora interdū patiētia & caritate fleclūtur) ad amicum nescio quem summa cum Ignatii & sociorum laude perscripserat. Ea videlicet epistola, delatoris causam jugulauit. nāque ubi iudicii aduenit dies; citato ad tribunal Ignatio, multa

in eius

in eius vitam ac mores improbè mentitus est Michael. ad quem cum Ignatius admodum sedatè respondisset, prolata ad extremam epistola ac recitata, institit ab aduersario quærere, nunquid eorum rerum meminisset? num chirographum agnosceret? Tum ille inopinata percussus, victusque conscientia, repentè pallefactus titubare, frigido sudore perfluere. quod ubi animadvertit Praefectus (is erat Benedictus Cõuersinus, vir prudens, & in causis cognoscendis apprime versatus) confestim suspicatus coitionem & dolum, data opera Michaëlem diligenter interrogat; cumque in obscuris vestigiis ad ipsa fraudis cubilia peruenisset, seuerum calumniæ vindicem sese præbuit: ac multis verbis increpitum calumniatorem (quamquam Ignatio pro ipsius periculo deprecante) insuper multauit exilio. Post hæc Ignatius flagitare & vigere, uti conspirationis nefariæ principes, quæ priuatim in circuitibus & cœtibúsque iactarant, eadem coram Praefecto palam ac legitime exponerent, ut sibi diluendi crimina & se sociis que purganda copia fieret. Misso igitur viatore, vadimonium obire coguntur. At illi, veteratores & callidi, & cum in foro iudiciis que sua multumque versari, tum etiam recenti Michaëlis malo facti coitores, ubi ad tribunal adfuere, per summam dissimulationem se de Ignatio ac socijs & sentire quam optimè, & ad eam diè sensisse respondent: neque vllum esse crimen, quod ipsi quidem in eorum vitam morésque conjiciant. Atque hæc & alia eiusmodi coram iudicari nimirum fore, ut Ignatius præclarè secum actum existimas, quod imminens calumniæ periculum euasisset, tam elusti profertim accepta satisfactione proinde quiesceret. At ille multa magna, quæ ad iuuandam Ecclesiam pertinerent, mente ac cogitatione complexus; veritúsque ne si quid suspicionis incommoda, aut si qua dedecoris nota nascenti Societati adhæresceret, pro omnes in posterum ipsius conatus irritos redderet, vel certe magnum rebus gerendis impedimentum afferret, à Praefecto etiã etiã postulare, ne fictæ aduersariorum palinodia fidè haberet: cui quippe alia tū sermonibus tum per epistolas longè latèq; vulgasse, ac quæ tunc ad tēpus accommodata, iudicii metu perterriti exerint. quæ nisi à magistratibus ritè cognita & quaesita publicè coarguantur, malo videlicet publico per summum nefas hauriam in Societate magnam infamiam. proinde iure se postulare, ut in sua dicta vitamque omnem diligenter inquirat; se subiectè ad causam vsque cognitam in vinculis habeat, ac prout res ipsa cõpererit, ita pronuntiet. Hæc igitur, & alia id genus, Ignatius. Contrà, aduersarii, veriti ne si quæstio perageretur, ingenti loco perirent

periculo ac damno paterent ipsorum artes atq; mendacia, per se suosque omni ope contendere ac niti, vt Præfectus ab instituta cognitione desisteret. Iamque, vtpote qui plurimum opibus & gratia poterant; in suam sententiam non modò Præfectum, sed Legatum etiam, qui Vrbi pro Põtificis summo cum imperio præerat, Cardinalem Neapolitanum adduxerant. quinetiam ex ipsismet Ignatii sociis non deerant, qui, aduersariis iam à suscepta actione deterritis, & sponte cedentibus, non vltra instandum, vitandas lites, paci & quieti consulendum esse censerent. At verò Ignatius in posterum longè prospiciens, eòque iudicio non tam suam, quàm Christi Domini causam agi prudèter animaduertens; nullis neq; minis neq; promissis nec suasionibus de sententiã deduci se passus est. cùmque omni ad eã rē conatu nõ semel adhibito, propter aduersariorũ gratiã atque potètiã nihil planè proficeret, nõ dubitauit, cõsulto per sacrificia precèsque Deo, ad ipsismet Põtificis maximi fidẽ opẽmque cõfugere, qui Nicæa per eos dies, adulta iam ætate, redierat, & in Tusculano secessu valetudinis causa morabatur. Facili ergo ad principem aditu, quo die venit, admissus Ignatius, Latino sermone (quippe qui nondum satis Italicè nosset) eidem ex fide retulit, quo consilio à militari vita sese ad animorum auxilium atque ad litterarum studia trãtulisset: ac dum rem Christianam pro virili parte administrat, quoties, quot locis, quibusve nominibus accusatus & absolutus fuisset. Nuper etiam ab Hierosolymitana peregrinatione bello prohibito (quod Pontifex ipse non ignoraret) se, ceterosque eiusdem instituti laborisque socios, qui se vitamque suam ad Christianæ religionis amplificationem Sedi Apostolicæ mancipassent, cùm maximè in vrbe Roma populũ docere insistent, parati que in omnẽ quamuis arduam atque longinquam expeditionem, eiusdem Pontificis reditum nutũmque auidè præstolantur; circumuentos repenti iniquorum insidiis, & summam in inuidiã non modò in vrbe, sed etiam apud remotas nationes adductos, ne id quidem à magistratibus obtinere posse, vt iusta in suos mores vitamque crimina in cognitionem vocentur. Sibi quidem propriæ utilitatis & nominis rationem (quamuis ea per se negligenda non sit) minùs antiquam esse: sed quoniam eodem iudicio & ipsorum existimatio & animarum salus agatur, (omnium enim qui ad rem publicam accedant rationes, non veritate solũ, sed etiam fama niti) petere se & orare, ne grauetur pro sua sapientia ac potestate perficere, vt Præfectus Urbis inchoatam quæstionem primo quoque tempore peragat, ne in Vrbe

totius

totius aequitatis parente, contra paucorum factionem opeſque nullum inopia ac ſolitudini præſidium fuiſſe videatur. Sub hæc audita Pontifex bono eſſe animo iuber Ignatium; & collaudata (quod antea fecerat) ipſius & ſociorum induſtria & pietate, Præfecto per codicillos imperat, iudicium utrique reddat Ignatium cauſam ritè cognoſcat, feratque pro veritate ſententiam. Et quidem hoc loco ad eſſe mihi animis velim eos, qui Deum res humanas negligentem circa cæli cardines otari non minùs inepti quàm impiè fabulantur; ex iis quippe quæ conſequuta ſunt, nemo ſanus paternam cæleſtis numinis curam ac providentiã in loco non clarè perſpiciat. Cùm enim tota aduerſariorum actio eamximè calumnia niteretur; Ignatium ſociosque variis locis tunc damnatos, ambuſtoſque iudicii, flamma per dolum effuſiſſe; cùmque longum & operoſum eſſet, nemine præfertim neceſſariam eam rem impendia ſubeunte, ex tam remotis diſunctisque provinciis rei geſtæ ſeriem litteris conſignatam reſtituſque firmatam ex forèſi formula petere; planè diuinitus factum eſt, ut quot in Italia, Gallia, Hispania Ignatii iudices exiſtiſſent, ſub ipſum ferendæ ſententiæ tempus Romam ferè omnes alius alia de cauſa conuenerint. Ioannes Figheroa, quondam Archiepſcopi Toletani Vicarius, is qui Compluti primùm de Ignatii fama capiteque cognorat, grauibus de cauſis Neapolim à Cæſare miſſus, in reditu cõmodum Romæ ſubſtiterat. Venerat eodẽdem Gallia Pariſienſis Inquiſitor Matthæus Ori, Dominicanus, apud quõ Ignatius, ut ſuprà dictum eſt, ſemel iterùmque ab improbis fuerat accuſatus. Denique in tempore Gaſpar etiam Doctus à Venetiis adfuit, qui habitæ in ea vrbe in Ignatium quæſtioni præſtiterat. Hi omnes in iudicium adducti, aduerſariorum commenta detexere, cum ſumma teſtificatione virtutis ac pietatis Ignatii. Præterea litteræ ciuitatum, apud quas Italia tota Patres aliquodiu vixerant, per idem tempus allatæ, magnũ pondus ad illuſtranda ipſorum merita & refellendas iniquorum calumnias attulerunt. Iam verò Hercules quoque, ſecundus hoc nomine Dux Ferranſium, qui Patribus familiariter uſus, iisdẽmque peccata ritu Chriſtiano conſeſſus, ex eorum etiam manibus corpus Domini ſumpſerat; libentiſſimè fecit non modò ut per epiſtolam, ſed etiam ut per legatum, perſpectæ ipſorum innocentia ac ſanctitati debitũ teſtimonium laudẽſque tribueret. Quibus rebus adductus Vrbi Præfectus, vrgente præfertim Pontificis iuſſu, quamquam aduerſariis omni ſtudio contrà nitentibus, denique ſua ſententia Ignatium & ſocios omni non modò culpa, ſed etiam culpæ ſuſpicionẽ libera-

liberavit verbis amplissimis, eiusque sententiæ, ad vindicandam infantium famam, varias in prouincias testato descripta exempla dimissa; quibus ex rebus dici vix potest quantum Patribus vtrique honoris & existimationis accesserit. Atque hac maximè ratione diu suppressa atque occultata veritas extulit aliquando sese, ac malitia superata, processit in mediũ: quæque machinam èta diabolus ad tenerani adhuc Societatem deformandam atque adeo præfocandam artificiosè parauerat, ea ipsa, moderante rōnumine, in eius maximè decus & incrementa cesserit. At vero infidiatorum longè dissimilis fuit exitus. Namque administer cōscelerata calumniæ Michaël, fraude patefacta (quemadmodum dicebamus) in exilium actus est: E. ducibus verò (quos nominare hoc loco necesse non est) vnus paulo post iudicium graui corruptus morbo, semet acriter ac dolenter inculpans, cum insigni facinoris detestatione diem obiit; alter, cum deinde manifestis hæreticarum opinionum iudiciis teneretur, maturè sibi fuga consuluit, effugiemque suam pro se iudicibus cremandam reliquit; tertius eodem nomine cōprehensus, & cognita causa perpetuo addictus carceri, ad extremum tandem mortem iam imminente resipuit, eidemque animam agenti quidam è Societate ad vltimum vsque spiritum assedit; quæque illi tempori tribui solent, pietatis & caritatis officia præstitit. Porro Lutherianus ille concionator, qui totam conspirationem scelusque conflat, in tra catholicorum castra per fraudem aliquandiu versatus, cum religionis ac pudicitiae simulationem vltra sustinere non posset, larua deposita, palam fidei & continentiae bellum indixit, atque ad optata hæreticorum lustra popinasque se contulit.

IGNATIVS ET CÆTERI PATRES DE CONSTITVENDA SOCIETATE DELIBERANT.

CAPVT IX.

**H**Ac igitur falsa accusationis procella Ignatius sociique defuncti, primùm omnium (vt æquum erat) ingentes & vniuersi communiter & singuli priuatim, egere diuinæ clementiæ gratias: deinde, partim quòd aliqui subinde ad Ignatii institutũ aggregabantur; partim etiam quòd inaudierant, aliquot è suo numero varias in vrbes atque prouincias iã tũ rogatu Principum à summo Pontifice destinari; visum est faciendum, vti de stabilieda quã maximè ad Dei gloriã salutemque animarum